

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis 25. Februarij.

M. JOSEPHO THOMASSEAU, Doctore Medico, Præſide.

Eſtne uterus pars ad vitam neceſſaria?

I.

FOECUNDA providæ Naturæ vis, ut ſe prodit ſingulari nutritionis induſtriâ, ſic mirabili generationis nitet ſolertiâ: ex ingenioſo inſtrumentorum apparatu, quorum ope utrumque ſuſcipit opus, & ſuſceptum perficit, ambigitur an, ut tot artium perita, ſic rationis capax? Ex modo, quo alimenta in ventriculo cogit, arida humidis, levia gravibus confundit, comminuit, & in æquabilem convertit ſubſtantiam vitæ ſuſtinendæ neceſſariam, convellitur oculati quantumvis ratio. Ex normâ, quâ utriuſque ſexûs ſemina in utero concipit, partes calidiores, ſpiritûſque magis participes terrenis craſſioribuſve circumjectis obvallatas, intrò & in medium ſecernit, & ex tam diſſonis particulis adeò conſonam effingit molem vitę mox futurę accommodatam? Quis operantem Naturam ſtudioſus intueri non cupit, ne dum tanti opificij autorem æmulus imitari? Has quidem functiones tam bellè peractas ſagaci Naturæ Parentis ingenio dignas qui prior cenſuit, hæreditario quaſi nomine à Naturâ deprompto appellari ſanxit naturales. Vitales, & animales degeneres, aut minori artificio exerceri ne credas, imò perſpicuitatis unius duntaxat gratiâ, aliâ nomenclaturâ inſigniri diſtinguive ſcias. Mutuis harum functionum ſuppetiis ita regitur corporis œconomia, ut ad illius incolumitatem una ſit omnium conſpiratio, parque neceſſitas. At partium trino huic operi inſervientium eò major eſt

nobilitas, quò major utilitas; aliæ ad vivendum ut ſunt omnino neceſſariæ; aliæ ad bene vivendum ſunt tantum requiſitæ.

II.

TANTUS eſt inter partes conſenſus, ut ſi quid de alterâ viciſſim in alteram transferatur, nihil impeditius ad ipſarum utilitatem, nihil deformius ad aſpectum videri poſſit. Qui ſtudioſæ mentis accuratâ ſollicitudine illarum ſitum & figuram perluſtravit; eâdemque animi contentione ad omnium uſus, & conſenſus inveſtigationem ſe accinxit, ipſarum nihil à ſapienti Opifice, aut temerè conditum, aut ſuperfluè adjectum pronunciabit. Imperitum puta, vel impium reputa qui tam ardui pertæſus laboris, diſſitam ne dum aſſequutus metam, naturalem tamen quarumdam partium ſedem, tum invertere, tum præſcribere concinniorem impudenter auſus fuerit, necnon exſcindere numerum otioſarum excedentem. Diſcordem partium concordiam Sapientem decet mirari, quemvis dedecet aſpernari. Propriâ inſtrumenti cujuſque functione perſpectâ, quid conferant partes, nullo negotio deprehendi poterit. Tametſi peculiarem ſibi actionem ſingulæ obtineant, hanc tamen ad communem referunt commoditatem, & uſum totius, cujus gratiâ aut redditur actio concinna, aut viget integra, aut conſervatur illæſa. Aliarum defectu ſymmetria deficit, an vita vegetior fit? Aliarum mutilationi ſuccedit tum vitiata proportio, tum cæterarum languor, & confuſio. Principum læſionem certa ſequitur pernicies totius reipublicæ ſuis fulturis deſtitutæ.

III.

QUÆ majori artificio elaboravit organa, aut quæ præſtantiori deſtinavit officio ſtructuras, & ſedes animalibus in diverſis minùs diverſas obtinere congruum duxit natura, quorum major varietas ſæpè minoris eſt utilitatis index. Matrix quid varium & mutabile ſemper, ne dum ſimilem teneat in variis ſpeciebus tenorem, in mulieribus refert diſparem, aut ætatibus diſtinctum, aut conditionibus diſſimilem. In virginibus ejus cervicem plerique tradunt medio progreſſu dirimi exili membranâ venulis conſperſâ, qua pendet ὑμὴν & ὑμένιον, ſed raRò reperitur in uſu. In brutis ſæpè multiplicem, in Hominibus ſemper unicam ſortita eſt cavitatem, ſatis lenem, aut lubricam, niſi venarum, aut arteriarum orificiis exaſperatam. Binas partes prominentes, inſtar cornuum vituli nuper erumpentium pro-

fert, in belluis pluribus gignendis fœtibus capaces, in hominibus nec ovis, ut insolentèr prolatum est, nec ipsis continendis fœtibus cõformes. Figura illi rotunda, ad cervicem paulò longior, pyro majusculo similis, at minor in junioribus, in iis quæ gestant major. In coxarum capacitate sedet quasi in suburbio, inter duas corporis cloacas tertia. Remotior à viscere, cujus motu stat vita. Aliàs pluribus affecisset incommodis, quod nullis, aut paucis commodis juvat. Vasorum, quibus refertur, ope superfluum exonerat sanguinem singulis mensibus appellentem. Fœliciter cum his agitur, quibus paucum, fœliciùs, quibus nullum, deside vitâ, aut opiparâ modò non residuum; pejùs, quibus iteratum; pessimè, quibus fluore albo dilutum, aut intermissum.

IV.

VIX partium innotescit utilitas, quibus ignoratur actio, cujus causâ provido summi Opificis consilio peculiares singulæ sortitæ sunt figuras, animi moribus ancillari proclives. Præviam autoris cognitionem cujus instrumenti non probat structura futuris actionibus destinata? Oculos ad videndum fuisse constructos, qui non fatetur ex visu, lividæ mentis est, aut lusciosæ; pedes ad progrediendum constitutos, ex gressu qui non concludit, audit aut cultor stoliditatis, aut divinitatis irrisor. Conceptionis officinam, & nostræ propagationis organum rato fixoque naturæ decreto efformatum fuisse uterum nemo nescit; At in amœnum suavioris voluptatis hortum, quis sibi non asciscit? Qui libidini suæ nimis obsecundant, cæteris partibus anteponendum putant, ipso corde præstantiorem: sed, ut speciei conservandæ plurimùm prodest, ita vitæ individui aliquandò non parùm obest: nec hujus partium nobilium albo ascribitur, nec famulantium ministrarumve seriem absolutè necessariam ingreditur. In dissitam & infimam ablegati regionem demonstrat sedes, vix utilem toti corpori functionem structura ipsius manifestat & compages, primariò generationis negotio comparata, secundariò extrudendæ sordis ministerio idonea, cujus quanta elicitur commoditas, tanta injicitur necessitas.

V.

QUAS strictiori vitæ necessitati partes astrinxit nostri Opifex, bellè munito opportunoque situ coërcitas prudens donavit, quo, ut nil securitati magis commodum, sic ipsarum commoditati

nihil magis ſecurum eſt. Vitæ nobilioris hominum, belluarumque diſcriminis parens ratio Palladis arcem occupat, unà cum ſubſidiariis famuliſque ſenſibus. Spiritûs, ipſiuſque vitæ domicilium pectus inſtrumenta ſuppetias hujus impenſiores ferentia comprehendit. Nutritias opes præparantia, tum excrementitias amandantia ſordes organa regionis alvinæ ſeceſſus definit, & circumſcribit. Tam arctæ neceſſitudinis legi partes cæteræ non parent, quæ aliàs concinnæ, aut commodæ proportionis ſorti reſpondent. Harum deſiderio una duntaxat vitæ infœlicis annexa eſt conditio; poſt ipſam oculorum πρόπτωσιν, tantùm infœlicioris; poſt aurium, linguæ, narium ſuccisionem, aut brachiorum, crurumve amputationem, minùs jucundæ. Qui teſtes primarios generationis autores nobiliores ipſo corde cenſuit, & magis neceſſarios, cur eunuchos vivere nunquam inficiatus, uterum ejuſdem functionis miniſtrum, ſed ſexcentarum ærumnarum autorem, vitâ ſuperſtite amputari poſſe non fatebitur? tot æquè nobilium partium, quæ impunè adimuntur, æqualis ratio probat: tot mulierum imperforatarum, quibus inutilis uterus feriatur, verax hiſtoria ſuadet; ſubſcribentium Æginetæ, & Aëtij autoritas vincit; vivacium mulierum, quibus inſolenti prudentiâ amputatur, quotidiana experientia confirmat.

Ergo uterus non eſt pars ad vitam neceſſaria.

Domini Doctores diſputaturi.

Claudius Biendiſant.	*Claudius Guerin.*	*Claudius le Vaſſeur.*
Dominicus de Farcy.	*Paulus Mattot.*	*Martinus Akakia.*
Henricus Mahieu.	*Carolus le Long.*	*Nicolaus Richard.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS DES PREZ Pariſinus. A. R. S. H. MDCLXXVII.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.